

ad.O.
















2

3

4

5

7

8





1667.

1. Beemamus, Johannes Christophorus, Graecae linguae  
Prof. ord.: inaus. orationem . . . lectionibus publi-  
cis praemissuras . . . iuritas.
2. Boats, Daniel: De absentia.
3. Decherus, Fractinus: De tituli probatione
4. Meander, Sidoricus: Oratio in laudem juris  
prudentiae ac jurisconsultorum
- 5<sup>o</sup> Strykius, Samuel: De incendio casuali.
- 6<sup>o</sup> Strykius, Samuel: Centuria differentiarum  
juris veteris et novissimi.
- 7<sup>o</sup> Strykius, Samuel: De rasure. 2 Sept. 1667  
ca. 1691.
8. Strykius, Samuel: De carcere ad custodiam



9<sup>a</sup> 27. Styrkum, Samuel: De differentis juris civilis  
et canonici. 2 Exempt. 1672? 1683.

16<sup>a</sup> 26 Styrkum, Samuel: De purgatione morae.

119, 6<sup>a</sup> Styrkum, Samuel: De saecularis et Secretariis  
et l. 7. ff. de extraord. crimin.

12. Wolff, Philippus Jacobus: De aequipollentis



ee.

4

2

4

1

1

4

4

4





*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, possibly Latin or German, covering the top half of the page.]*





3156  
ORATIO 1667,4 ~~M~~ 4  
IN  
LAUDEM  
JURISPRUDENTIÆ  
AC JURISCONSUL-  
TORUM,

IN ILLUSTRIS  
BRANDENBURGENSIUM ACA-  
DEMIA

*a. d. III. Nonar. Novembr.* (3)

ANNO ultimæ Christianorum patientiæ  
M. DC. LXVII.

*In Collegio Jctorum*  
Habita

à  
FRIDERICO NEANDRO  
Sandoviens. Marchico.

---

FRANCOFURTI ad Viadrum, A. C. 1667.  
Literis JOANNIS ERNESTI Acad. Typ.

9.



GRATIA  
A  
LAHDE M  
CHRISTOPHERUS  
AG. JURISCONSULTUS  
TORUNENSIS

IN  
MAGISTER  
D. M. S.  
ANNO  
M. D. LXXII

FRIEDRICH  
Sonderdruck

RECOGNITIO  
HAB. TORUNENSIS





JOHANNES FRIDERICUS RHETIUS  
U. J. D. PANDECT. PROFESSOR. ORDINAR. h. t.  
UNIVERSITATIS RECTOR ET JURIDICÆ FACULT.  
DECANUS,

*Civibus literariis, Salutem D.*



Undum pestilens Hominibus invaserat  
opinio cuiq; judici Biblia ac rationem su-  
am sufficere, cum, qui Reipublicæ præ-  
esse & cæteris præstare cuperent, Romanæ  
Prudentiæ sectarentur momenta seu æ-  
quitate pura quâ jus id nititur impellerentur; Seu Se-  
culi ingenium invitaret, quo parum valebant qui soli-  
dioribus studiis non imbuissent animum. Quid quod  
felix aliorum inde successus, quo optimus quisq; care-  
re nollet, traheret in exemplum. Nulla quippe Res-  
publica nullus prudentum unquam præ cæteris emer-  
sit qui ratiocinationi propriæ confisus è Romanorum  
prudentia sibi haud sumpsit argumentum. Communis  
nostra Patria Germania quam præstabat justitiæ Roma-  
næ ignara vel negligens? Adhuc Germanorum Regum  
Leges memoriæ proditiæ supersunt, sed quantam indo-  
lem spirent & imitandi præbeant commodum, medio-  
cris Ingenii Vir animadvertit. Haud negligendas ta-  
men omnino junctarim cum regni statum & Populi  
mores unicè exprimant alibi ne relatos quidem vel pe-  
nitus corruptos, Quod verò cum Romanis Legibus i-  
dem imitandi Exemplum habeant, neminem assertu-  
rum



rum facile crediderim. Virtutum omnium Cultus nitidissimus, tot Virorum prudentum solida ventilatione constructum effatum, Doctrina si non Græcorum major ne utiquam tamen illi secunda, quicquid Rerum publicarum cultarum hodiè viget justitiæ lux inde accersit fulcimenta ipsa Saxonica jura qua cultam æquitatem habent Romanis debent originem. Nec plerosq; Germaniæ Principes livore motos statues, qui vetera Saxonica jura abolentes in territoria sua expressa sanctione introduxerunt Romana. Machiavellus Italis suis maxime exprobrat pulchri Romanarum rerum negligentibus, solos Germanos veram Romanæ Prudentiæ medullam colere, ipsos suorum esse incuriosos. Multos his Romanorum principiis pessimè uti haud inficias iverim; sed quid sacrum adeo quod ab utentium non polluit temeritas? At Romanorum principia supersticiosè colenda non svaserim, ab Ethnicis profecta nec ubique publico statui & imprimis nostro apta. Sed quæ justum ab injusto inter privatos separat, æquitatis tenax à vero ex suæ Reipublicæ indole ne utiquam aberrat. Imò si Christiani ex revelato lumine justum adeo sectaremur ac illi ex obscuro, melius Ecclesia quam non absq; culpa apud Barbaros, audiret quandoq; Christianus nemo judicis sive privati partes tuetur, Biblia negligit nisi impiè; sed judicia quæq; ex Hebræorum moribus confingere Christianorum fini contraria nec seculo convenientia imprudentiam incurrit. Utinam  
Doctri-



Doctrina ex privato cujusq; arbitrio jus fingi licere, Do-  
ctorum præcepta haud sectanda adeò, Barbariei ali-  
quando non foret occasio! Sic Biblia christiano tan-  
tum haud conducere, naturalem rationem & Decalo-  
gum solum fidei normam accuratã esse incautis quon-  
dam persuadebatur, ut hæreses succrescerent felicius! Sed  
haud desunt tamen, qui solidam adhuc colunt Juris Pru-  
dentiam, & qui corruptam Hominis rationem sine Ma-  
gistro sequi periculosum animadvertunt. Eximius in-  
de & Præstantissimus Juvenis, DN. FRIDERICUS  
NEANDER, Sandoviensis Marchicus, non solum  
hactenus haud fucatam strenuè excoluit Jurisprudentiã,  
sed & crastinã Die Horã X. ante meridiana de Dignitate,  
Utilitate ac Necesitate ejus copiosè pariter ac modestia  
decenti ex memoria dicere constituit. Haud ingenii  
ostentandi aut gloriolæ alicujus captandæ causã id indu-  
xit in animum; Sed ut pietatem erga Nobilissimum &  
Amplissimum Virum Dominum *VVerlienum*, Duo-  
rum Principum Imperii Consiliarium cum viveret bene meri-  
tum probaret, qui æternam sibi, stipendiis aliquot triennio quo-  
libet bonæ mentis Juvenibus Studiosis impertiendis, compara-  
vit memoriã. Opprobrio sibi fore autumavit ante Dies non  
multos idem liberale studiis suis ad triennium per sortem obti-  
nendi stipendium, si benefactores, sui, Laudibus quibusvis ma-  
ctandi, sileret memoriã. Vestrum erit omnium Ordinum Ci-  
ves Academici conatus non modo Eximii Juvenis præsentia ve-  
stra juvare, sed etiam frequentia ad majora esse incitamento.  
Quod ut benevole faciatis quæ decet Humanitate invito.

*Dab. in Electorali hac Tertia Non. Novembr.*

*Anni post millesimum sexcent. sexages. septimi.*

A 3

Magni-



I. N. J.

**M**agnifice Domine Rector, Spectabiles omnium Ordinum Decani, Viri plurimum Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi atq; Clarissimi, Domini Præceptores, Mœcenates ac Promotores æternùm venerandi, tuq; mente & gente nobilissima Studiorum corona, Domini Fautores, Amici ac Commilitones plurimum colendi.

**S**icut optimus ille dicendi Magister & Eloquentiæ parens Marcus Cicero, fateri non veritus est se in omnibus causis gravioribus commoveri solere initio vehementius, quàm videretur vel usus vel ætas sua postulare: Si magnus ille maximi Aristotelis discipulus Tyrannus, qui à divinitate loquendi nomen Theophrasti accepit, in Areopago ad Athenienses dicturus, verecundiâ ut creditur deturbatus, obticuit: Si magnus ille Budæus, Galliæ portentum ob excellentissimam eruditionem ab Erasmo vocitatus, Imperatorem Carolum Quintum, Parisios venientem, oratione excepturus, subito metu percussus, obmutuit: quid mirum, si homuncio ego, qui neque ingenio, neq; doctrinâ, neque usu aut exercitatione dicendi ex ullâ, aut saltem exiguissimâ parte cum istiusmodi excellentissimis viris sum com-



comparandus, in splendidissimo hoc p̄ritissimorum  
ac clarissimorum virorum consessu dicere inchoaturus  
cohorream, & totâ mente atque omnibus artibus con-  
tremiscam. Quod si inconsultâ quadam temeritate huc  
proruerem, vel vanâ doctrinæ ostentatione impulsus,  
vel ingenii mei fiducia, tot Excellentissimis, Clarissimis,  
atque doctissimis viris tacentibus, ad dicendum in me-  
dium surrexissem, non modo stultè, sed etiam improbè  
fecissem, iustaque reprehensione dignus essem. Quia  
verò ultima voluntate ac munificentia omni laude, præ-  
dicatione, literis monumentisque decoranda Viri Ex-  
cellentissimi & de Republicâ literariâ longè meritissimi  
*τῆ νῦν ἐν ἀγίοις* THOMÆ VVERLIENI, J. U. Doctoris  
celeberrimi, Serenissimi Ligiorum Principis Georgii,  
Rodolph. & illustrissimi Comitis Palatini ad Rhenum,  
Domini in *Sulzbach*/ Consiliarii gravissimi ac meri-  
tissimi, quâ tenuioris fortunæ adolescentibus, in mentis  
culturam & studia meliora gnaviter incumbentibus,  
subsidia luculenta legavit, quorum pars ad me quoque  
fortis beneficio, DEO ter Optimo Maximo ita dirigen-  
te, pervenit, impulsus id facere aggredior, facile me ve-  
niam à Magnifico & Nobilissimo hoc consessu impetra-  
turum spero, sicubi langvescere aut deficere mea Orati-  
uncula videbitur. Et ne longo vos exordio onerem,  
suspensosque diu detineam, rem ipsam statim aggredi-  
ar, atq; in honorem ac memoriam Magnifici Domini  
Testatoris, Juris Consulti celeberrimi, de Jurispruden-  
tiâ



tiâ ejusq; excellentiâ ac dignitate, necessitate atq; utilitate in præsens verba faciam: faciam autem breviter, & quidem breviùs, quàm restanta dici vel debeat, vel possit. Quocirca Auditores omnium ordinum spectatissimi atque honoratissimi, oro atque obsecro, adeste omnes animis, qui adestis corporibus, erigite mentes auresque vestras, & me de nobilissimâ hâc materia, sine ullius eloquentiæ machinis, sine lautâ orationis supellectile, sine verborum delitiis, sententiarum majestate, actionum denique venustate differentem, favore vestro sublevate; gratiâ juvate, benevolentiam confirmate, assensu atque judicio æquissimo sustentate: hâc ratione futurum est, ut facilitate vestrâ in altum invehctus mare, orationis meæ cursus multo facilior ac solutior reddatur: sicut enim equorum impetus lætis acclamationibus redditur alacrior: ita illis quibus in aliquâ hominum frequentiam est dicendum, auditorum candore & benevolentiam animus additur.

Refert totius Philosophiæ Venus ac lyra Plutarchus in Apophthegmatis suis, Agesilaum, cum ex eo quæsitum esset utra virtus principatum obtineret, Justitiæ, an Fortitudo, talem responsionem dedisse: Fortitudinis nullum esse usum, nisi Justitiæ sibi comitem adjungat, neque fortitudine, si justus essemus, opus haberemus. Quo lane aureo cedroque dignissimo responso innuere voluit, æquitati ante omnia studendum, ac unicuique suum esse tribuendum. Est enim Justitia omnium



mnium virtutum dominatrix ac Regina, à quâ tan-  
quam ex vivo, copiosissimo ac saluberrimo fonte,  
in univèrsum hominum genus, leges ac jura velut  
rivuli promanarunt. Hæc benefactis honores &  
præmia, malefactis verò ignominiam & supplicia  
decernens, bonos ad labores alacri & infracto ani-  
mo suscipiendos, fortiterque & constanter perfe-  
rendos excitat, improbos à temerario ac nefario  
ausu, à vagis libidinibus, & id genus vitiis deterret:  
hanc si sustuleris, omnem fructum, omnem jucun-  
ditatem, omnem amabilitatem vitæ, vitam de-  
nique ipsam è vita sustuleris, nec domus ulla, nec  
civitas, nec hominum inter se societas, nec totum  
hoc univèrsum diutius sartum tectumque possit  
persistere. Quemadmodum enim ex injustitia  
omnia mala, omnia damna proveniunt, ita contrà  
è justitia salus, incolumitas, bona denique omnia  
profiliunt, illà civitates opulentissimæ ac florentis-  
simæ brevissimi temporis lapsu, subversæ & ad in-  
citas sunt redactæ; hâc à parvis & humilibus pro-  
fectæ principiis brevi temporis spatio ad magnam  
potentiam, opumque abundantiam pervenerunt,  
caputque præ reliquis extulerunt

*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.* Virgil.

Ubicunque Justitia imperium tenet & ad Reipu- Eclog. 1.  
blicæ clavum sedet, illinc fraudes, illinc doli, illinc  
perjuria coguntur exulare: non fert ea raptores,

B

non



*Lib. 3.  
comment.  
de reb.  
gestis Al-  
phonfi.*

non adulteros, non fures, non sicarios, non veneficos, non latrones, non viarum atque itinerum obsessores! proscribit ea annonæ Incendiarios, ærarii expilatores, testamentorum suppositores, pauperum oppresores, suisque tantum commodis studentes. Hâc instructus facilè animum suum ab ira, odio, inimicitia, refrenabit, pacatum ac mansuetum reddet. Hujus mansuetudinis illustre exemplum recenset Æneas Silvius: inter Joannem Caroli Quarti ejus nominis patrem & Henricum Carinthiæ Ducem de regno Bohemiæ longam & difficilem contentionem extitisse: verùm cum quispiam ad Joannem veniens, veneno se hostem interempturum promitteret, si præmium speraret: Joannem Justitiæ & integritatis amatorem respondisse, si me nescio Henricum interemisses, & ad me fugam adornasses, crux tibi præmium futurum erat, qui te regio sanguine commaculasses. Simile exemplum refert idem Silvius de Rodolpho Imperatore, ad quem cum quispiam venisset, qui Othaccarum Bohemiæ Regem atrocem hostem, in venatione se occidurum promitteret, si factò præmiũ esset Rudolphus, etsi noster hostis est Othaccarus inquit, non tamen id efficiet, ut justitiæ & moderationis fines transeamus. Hæc ille. Et ut paucis multa comprehendam, ubi Justitia & perpetuæ ejus comites & sorores, ut Poetæ loquuntur, veritas &



tas & fides, adsunt, ibi etiam pax & amicitia, & bonarum artium cultus, & omnium rerum expetendarum abundantia adest, tunc & Venusinus olor canit.

*Tutus bos etenim rura perambulat,*

*Nutrit rura Ceres, almaq; Faustitas:*

*Pacatum volitant per mare navitæ:*

*Culpari metuit fides:*

*Nullis polluitur casta domus stupris:*

*Mos & lex maculosum edomuit nefas*

*Laudantur simili prole puerperæ:*

*Culpam poena premit comes.*

Versatur quippe Justitia circa locietatem vitæ, communitatem, concordiam, amicitiam, similitudinem morum, circa pietatem in DEUM, patriam, parentes, liberos, amicos, affines, uxorem, maritum, hospites, in beneficio dando & retribuendo, in disceptationibus judiciorum, actionibus & defensionibus, in juris cujusque conservatione. Hujus itaque virtutis cum tanta sit præ eminentia, dignitas & excellentia, ut omnes sub se virtutes complectatur, meritò etiam Jurisprudencia, sicuti semper fuit habita, ita etiam nunc magno in pretio est habenda. Est enim ea sanctissima, quia est æternæ justitiæ cultrix & vera illa æquitatis imago, cujus respectu qui eam profitentur, justitiæ Sacerdotes vocantur, non quod DEAM aliquam, videlicet Astræ-

lib. 4.

Od. 5.



am, colant, sed quod legum, quæ sacrarissimæ sunt, Sacerdotes & Antistites existant. Et Justitia fons & origo Jurisprudentiæ, nullum autorem ac Parentem alium, nisi DEUM ter Optimum Maximum recognoscit, quemadmodum sacratissimus Imperator Justinianus orat in Novella 109. in principio: Unam nobis esse in omni nostræ Reipublicæ & Imperii vitâ, in DEO spem credidimus, scientes, quia hæc nobis & animæ & imperii dat salutem; Unde & legislationes nostras inde pendere competit, & in eam respicere, & hoc eis principium esse, medium & terminum: Et in Novella 164. in principio: DEO simul & Justitiâ nihil majus existit, absque his enim nihil unquam commodè geri potest, & præcipuè in nostra hac Republica: Exinde enim & rectè regnare, & subditos ad benevolentiam, neque non ad summam licet attrahere devotionem. Et Albericus Gentilis: dicam audacter, inquit, jus Justinianæum hujusmodi est, ut non rectius, non honestius, non sanctius universa Theologorum omnium schola sancire valuerit, Fuerunt Juris-Consulti Ethnici, sed qui naturæ vocem sic secuti, ne ungviculum à tramite justæ legumlationis aberrarint. Joannes Brentius, summus ille & ferè secundus à Theandro Luthero Theologus, cum ab eo postulatum esset, ut judicium suum interponeret Parenti Hieronymi Gerhardi (postea

*Lib. 1. de  
nupt. c. 7.*



(postea VVürtembergici Pro-Cancellarii) an hic  
filius ad Theologiam, an ad plura animum applica-  
re deberet, rescripsit: DEO in Ecclesiâ non modo  
bonis & doctis Theologis, sed probis quoque Jure-  
Consultis opus fore, atque unum Juris Consultum  
intelligentem, pium, amantem religionis sæpenu-  
mero Ecclesiæ plus prodesse posse, quàm multos  
insigniter doctos Theologos, id quod literarum  
monumentis consignatum reliquit Melchior Ada-  
mi in vitis Jure Consultorum. Et Victorinus Stri-  
gelius in locis Philippi de Magistratu inquit; Hoc  
quidem ausim affirmare, excepto Evangelio & De-  
calogo nullam majorem sapientiam reperiri &  
monstrari posse, quàm eam, quæ à Romanis Jure-  
Consultis explicata est in Pandectis, & aliis fonti-  
bus legum Romanorum. Prætereà magno in ho-  
nore semper apud Imperatores, Reges & Principes  
Juris Consulti fuerunt, quos etiam veteres Impera-  
tores præclarissimis encomiis exornarunt, & suos  
amicos nominarunt, quemadmodum D. Antoni-  
nus & Ælius Verus Volusium Martianum, & Salvi-  
um Julianum, & Domitium Ulpianum, Juris Con-  
sultum & Præfectum annonæ, Alexander Impera-  
tor itidem amicum suum appellat: imo idem A-  
lexander eundem Ulpianum vocat Parentem su-  
um. Proptereà etiam dicitur Doctores quasi splen-  
dorem firmamenti lucere, & tanquam luminosas

pag. 204.  
part. 4.  
pag. 108.

l. 17. ff. d.  
procura-  
tor.

l. 4. C. de  
contr. &  
commit.

stipul. & l.  
Divi fra-  
tres ff. de

jure Pa-  
tronat.

L. 4. C. lo-  
cat. Con-  
duct.

B 3

cande-



*C. super  
specula X.  
de Magi-  
strat.*

*Melch. A-  
dami in  
præfat. de  
vitis 7 Cto-  
rum.*

candelas universum totius orbis corpus, profligatis errorum tenebris, veluti sidus matutinum & stellas in omnem perpetuitatem mansuras, irradiare; Et passim in jure vocantur nobilissimi, Maximum decus, illustres, celsi, honorati, quibus janua imperialis semper pateat, excelsi, gloriosi, Magnifici, splendidissimi, Clarissimi, Prudentissimi, inclitæ recordationis, optumæque memoriæ. Æmilium Paulum Papinianum, illum juris doctrinæ thesaurum, Septimius Imperator maximi semper fecit, Præfectum Prætorio constituit, eidemque moriens filios suos commendavit. Qui tamen idem ab Antonio Bassiano Caracallâ fratricida, facinus exculare jussus, cum cordate abnueret, diceretque facilius patrari, quàm excusari parricidium, capite indigne luit. Charus fuit Alexandro Severo, Domitius Ulpianus, Papiniani *γνήσιος* discipulus, adeò ab illo Cæsare æstimatus, ut sine ipso majoris momenti decreverit nihil, & à milite seditioso appetitum purpurâ suâ sæpius texerit, defenderitque. Idem Imperator nullam legem tulit, nullam constitutionem sacrauit, sine viginti Jurisperitis doctis & sapientibus viris: fuitque ipsius solemne, ut si de jure aut negotiis tractandum esset, solos doctos ac disertos adhiberet. Magni quoque fecit juris Antistites & Pelcenninus Niger, qui Consiliariis salaria addidit, ne eos gravarent quibus assidebant, dicens: Judi-



Judicem nec dare debere nec accipere. Horum  
vestigiis institerunt etiam Germanorum sanguine  
creti Imperatores, è quorum numero tantum u-  
num Fridericum I. cognomento Barbarossam pro-  
ducam, de quo Güntherus Poëta spiritus & animi  
haud spernendi ita canit:

*Edoctos in jure viros, veriq; sequaces*

*Imposuit: medio qui cuncta negotia juris*

*Limite discuterent.*

Quin imò & nostro hoc in ævo nihil omissum est  
honoris, nihil favoris, nihil dignitatis, quod ab  
Imperatoribus, Regibus, Principibus, Rebus publi-  
cis in justitiæ Sacerdotes, salutisque publicæ defen-  
sores non sit prolixè collatum. Testantur id do-  
nativa cumulatè in eos congesta; huic equestris di-  
gnitas confirmata adauctave: Illi feuda, prædia,  
arces donatæ: aliis torques, pocula nummive da-  
ti, aliis privilegia & immunitates indultæ, non ne-  
mini stipendia luculenta soluta, ut non desit, qui  
mille quingentis annuis aureis docuerit. Insuper  
plures & frequentiores semper apud Imperatores,  
Duces & Principes Juris Consulti quàm Medici  
sunt, imò quod habent Consiliarios illi, tot Juris-  
Consultos habent, ut Consilarii nomen tueri ne-  
mo queat, qui non sit Jureconsultus. Ecce tibi be-  
atum nostrum THOMAM VVERLIENUM,  
ec quidnam ipsi gratiam & benevolentiam Sere-  
nissi-



nissimi Ligiorum Principis Georgii Rudolphi, & illustrissimi Comitis Palatini ad Rhenum conciliavit? quid ipsam ad Amplissimam Consilarii dignitatem evexit? certe nihil aliud, nisi hoc quod strenuè in Themidos castris depugnarit. Quin etiam ipsi Imperatores quodammodo Juris Consulti esse debent, juris & legum non ignari: juris enim ignoratio turpis est non tantùm populorum Principi, ut Agesipolis Paulaniæ filius ait apud Plutarchum, sed etiam patricio, nobili & causas oranti, quomodo Quinctum Mutium Scævola, Servio Sulpitio dixisse testatur Pomponius. Et ipse Sacratissimus Imperator Justinianus fatetur, dum libros Institutionum suarum sic exorditur: Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumq; tempus, & bellorum & pacis rectè possit gubernari, & Princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos trames calumniantium iniquitates expellat, ut fiat tam juris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus. Quin etiam in statu Ecclesiastico illi dignitate & autoritate cæteros antecellunt, qui hæc scientia sunt instructi. Hæc itaq; scientia quæ præpotenti illi totius hujus universi conditori, bonorum omnium fonti atque origini ortum atque natales suos debet, quæque suos cultores

*In apoph-  
tegLacon.  
pag, 358.*

*l. 2.5. Ser-  
vius 43. ff.  
de Orig.  
jur.*



res tanta dignitate fulgere facit, quin dignissima sit, nemo sanè dubitabit.

Sed satis mihi multa, de dignitate, excellentia ac præ eminentia Jurisprudentiæ & Jure-Consultorum dixisse videor, restat ut nunc pauca etiam, de ejusdem necessitate atq; utilitate in mediū proferam: quæ quidem etsi per se satis ex dignitate reluceant, brevibus tamen ea demonstrare non fuerit inconueniens. Sine Jurisprudentiâ neq; stare res, neque mores hominum constitui, componi aut temperari ullo modo possunt; sine hâc prudentissimus cautissimusq; rerum homo, quisquis sit, quantumvis felici fidere natus, nemo unus evaserit unquam, sine hâc æqui & boni quoque speciem comprehenderit vix unquam quisquam bene, nec si se dederit totum Philosophiæ, nec si literis sacris. Hâc non minus in vitâ humanâ quàm aquâ & igne carere possumus, sine hac orbis diu consistere non creditur, & hâc non minus humano generi providetur, quàm si patria armis defenderetur. Nam quod stamus, quod incedimus, quod vivimus tuti, quod dominia rerum asservamus, quod divina & humana non violantur, id juri totum legibusq; acceptum ferimus; jurisprudentiâ civilis humanæ vitæ conventus ac societas conservatur. Idcirco majores nostri civitatis animam legem dixere, quod sicut sine anima corpus, ita sine lege nulla civitas persistat. Quis furentem in arma populum

*Cujac. in præfat. tract. 6. ad African.*

*Nebelcræ in præfat. decis. Giffens. R. U. d. 1603. S. wie hoch l. 14. C. de advocat. de vers. judicior.*

C

fre-





frenabit? quis alta dabit consilia? publica svadebit? statuet commoda? qui terras, maria & locos conservet? quis pauperi, inopi, depresso, peregrino, incolæ, civi suum cuique jus reddet, si legem sustuleris? ex raptis sine lege viveretur, non esset hospes ab hospite tutus, fugeret pudor, migraret honestas, verumq; fidesq; ut cum ingeniosissimo, copiosissimo Elegiacorum omnium Principe Ovidio loquar, & in horum locum omnium æruscatorum & captatorum doli, fraudes, technæ, insidiæ, vis ac tyrannis surrogaretur. Hinc animorum ille Æsculapius Plato hominibus amorem legis & justitiæ infundendam esse consulebat, quod sine lege non ulla Respublica, imò nec paucus hominum cœtus, nec parva quidem domus perduraret. Id quod etiã eleganter Marcus Cicero, primus in toga triumphum linguæq; lauream meritus, & in facundiæ Latinarumq; literarum studio Parens significasse mihi videtur, dum inquit, eum qui jus civile contemnat, non modo iudiciorum sed etiam utilitatis vitæque communis vincula revellere, qui interpretes juris vituperat, si imperitos juris esse dicit, de hominibus, non de jure civili detrahere; si peritis non patet esse obtemperandum, non homines lædere, sed leges ac jura labefactare; nihilq; in civitate tam diligenter, quàm jus civile esse retinendum, quo sublato nemini esse exploratum quid suum aut quid alienum sit, quid æquabile inter omnes, atque unum esse

*Plin. lib. 7.  
6, 30. in fin.*



esse possit: Cui & Imperator noster in supra laudato  
Avtenticorum volumine calculum addit, lege doc-  
cens fieri quod patria habitetur cautè, propriæ fa-  
cultates retineantur securè, judiciorumq; processus  
justitia ornentur. Legum enim præceptis modera-  
tio nascitur voluntati, discretio discitur actionum,  
quippe solidum à corrupto, sincerum à turbido, à  
versuto apertum lege dignoscitur; sublatâ enim le-  
ge, quis illi ipsi virtuti succurret, quin sit in vitium  
degeneratura, quid differet regnum à tyrannide?  
quid civitates à conventiculis distabunt? quid di-  
scriminis erit inter factiones & societatum collegia?  
Certè Andabatarum more clausis oculis à luce in  
tenebras obturbati omnia miscebimus, omnia cõ-  
fundemus: adeò nec virtus, nec imperium, nec ul-  
la omnino communitas commodabit, nisi legem,  
vitæ divam parentem custodiamus. Hæc rerum  
ambigua discutit, confusa distinguit, sparsa colligit:  
hæc verum investigat, verisimilia examinat, actus  
nostros ordinet, futura præsentit, scientem adjuvat:  
Hujus imperio humana coërcetur audacia, tuta  
redditur inter improbos innocentia, infesta ini-  
micorum proteruntur jacula, potenterque frenis  
manicisq; ferreis constringuntur; ut meritò dixe-  
rim, sicuti à cæteris humanis disciplinis salubrita-  
tem, ita à lege ipsam peti, ipsam obtineri salutem:  
quod legis custodia juxta Philosophum certa sit in-  
corruptionis conlummatio, ex quâ unâ pender,  
C 2 quic-



quicquid vitæ, quicquid concordia, quicquid civi-  
litatis morum, honestatis, æquitatis, boni, & quic-  
quid usquam in toto hoc universo existit, quâ non  
succurrente omnia mundi regna pessundarentur Et  
uno verbo omnia complectar; quod vita nostra à  
Cyclopum & Centaurorum immanitate & à bru-  
torum feritate differt, id omne, si verè rem æstima-  
re volumus, secundum DEum, supremum rerum  
omnium moderatorem & arbitrum, sacris legibus,  
earumq; integerrimis interpretibus, & strenuis atq;  
vigilantibus custodibus acceptum est ferendum.  
Quocirca recte ille eloquentiæ parens Cicero, civi-  
les viros qui Rempublicam gubernent, qui urbes  
aut novas constituent, aut constitutas æquitate tue-  
antur, qui Salutem libertatemq; civium, vel bonis  
legibus, vel salubribus consiliis, vel gravibus judi-  
ciis conservent, Philosophiæ auctoribus præfert. I-  
dem dicit domum Juris Consulti esse totius civita-  
tis oraculum, à quâ tanquam ab Apolline responsa  
vitæq; consilia postulatur, cui aurea munera tan-  
quam Delphico Apollini deferuntur, cujus januam  
frequens semper turba frequentat, & qui dubii atq;  
incerti ad eum accedunt, acceptis tanquam à Deo  
responsis, firmi atq; certissimi revertuntur; Et nisi  
Doctores fuissent, inquit Salicetus, essemus in tene-  
bris; ipsorum siquidem doctrinâ totus illumina-  
tur orbis, & ad obediendum Deo & Magistratui vi-  
tam subjectorum informat inquit Fridericus *Bar-  
barossa*. Hi turbatas Respublicas juris interpretatio-  
ne

*Lib. 1. de  
Orator.*

*In Avent.  
Habita.*

*Walther.  
de privil.*

*Doct. c. 8.  
§. 39. in fin.*

*d. Avent.  
Habita C.*

*ne fil. pro  
Patre. Co-*



ne pacare & sedare possunt: cum enim quid rectū, *ler. de pro-*  
quid iniquum sit, explicant, non possunt non homi- *cess. exe-*  
num mentes, quibus vel mica humanitatis inest, *cut. p. 1. c.*  
flecti ad concordiam, Ex quibus omnibus luce me- *6. n. 132.*  
ridianā clarius patescit, Juris Consulti scientiam si-  
ve Jurisprudentiam in Republica summè esse uti-  
lem & necessariā, proptereaq; maximè expetendā.

Sed audio hīc nonnullos obstrepentes & oggannien-  
tes, leges sæpe improbis patrocinari, & nonnullos Jure  
Consultos ad imperiorum, urbium & totius utilitatis per-  
niciem leges inflectere, proptereaque Reverendum Do-  
minum Lutherum rectè dixisse, bonum Juris Consultum  
malum esse Christianum, Detorquetur quidem quasi cri-  
nibus hoc Reverendi viri dictum Jam temporis ab impe-  
ritis nullāque doctrinā excultis hominibus èo, quasi hoc  
ipsius vulgatum & usu tritum proverbium fuerit, & de om-  
nibus ac singulis Jure Consultis, sive legitime in Them-  
idos sacraria luce clarā & Sole asso ingressi fuerint, sive per  
pseudothyrum latenter irreperint, aut per Deæ pecuniæ  
posticum illapsi fuerint, aut per Phani ostium penetra-  
rint, intellectum voluerit. In quo verò magna viro illi  
beatissimo injuriæ nota inuritur, quippe qui fucati rubo-  
ris & candoris medicamenta odio Vatiniano prosequaba-  
tur, omnes cavillationes atque obtrecciones cane pejus  
& angve fugiebat, & unicuique ordini, tanquam à DEO  
institutz ordinationi, suum, quem merebatur honorem  
atque reverentiam, exhibebat: nec ex ullis ipsius scriptis,  
hoc tam sinistram mentem, opinionem atque sententiam  
ipsi de juris Consultis fuisse, potest probari. Quin poti-  
us contrarium ex ipsius scriptis luce meridiana clarius re-  
lucet, quòd de vero & legitimo Juris Consultorum ordine  
semper honorificè senserit, atque locutus fuerit; quod ni-  
mirum

C 3

mirum



mirum ars Jurisprudentiæ DEI donum sit ; quod sit justa  
& æqua ; item quod Jus minimè reiiciat quasi rem de ni-  
hilo, sed laudibus extollat jus æquitate & justâ stipatum, 16  
tanquam ordinem à DEO institutum, & sciat quod lex sit  
bona, sancta & justa: verùm hoc insuper addit, valde pericu-  
losum esse, Juris Consultum esse siquidem nullus sit casus  
qui non possit fallere, quoniam circumstantiarum for-  
tuitorumque accidentium magnus sit numerus, quæ totam  
substantiam infirment, ac labefactent, proptereaque nul-  
lam etiam in Jure dari regulam, quæ non patiatur excep-  
tionem & excusatum esse Jure Consultum, si quæ sui of-  
ficii sint, faciat, secundum leges & Jura procedat & om-  
nia rectè & diligenter decidat, etiamsi non omnia semper  
exactè & ad amissim respondeant. Verum quidem est,  
& res ipsa loquitur leges sæpè patrocinari improbis & non  
nullos Jure Consultos ad Imperiorum & totius civilis  
societatis perniciem leges inflectere, & impostores sæpè  
legibus & aliis divinis donis abuti : Sunt aliqui proh do-  
lor! Juris Consultis religionis contemptores, sed quid hoc  
ad evertendum totum hunc statum honoratissimum? dan-  
tur & Theologi πολυπράγμονες alterum Pedem in templo  
sive suggesto, alterum verò in curià habere affectantes ;  
quid verò hoc ad Theologorum ordinem sanctissimum?  
dantur & Medici Paracelsistæ, cum primis impii in DEUM,  
neque tamen hoc quicquam Medicorum dignitati deroga-  
bit. Quocircà si qui Jure Consultis parùm honestè vi-  
vant, aut amplis muneribus corrumpantur, id vitium  
non scientiæ sed abusui est adscribendum, neque abusus  
dignitatem, utilitatem & necessitatem rei debet tollere :  
Ecquid nam enim est, si abusum spectes, quod relinquen-  
dum esse videatur ?

Ovid.

*Quid prodest, quod non ledere possit idem ?  
Igne quid utilius ? si quis tamen urere tecta  
Comparet, audaces instruit igne manus.*

Manet



Manet tamen integra atque illaesa Jurisprudencia, quæ excellens DEI donum est, ipsique maximè perplacens, nec sunt artificium vitia in ipsas res transferenda; verum etenim JurisConsultorum nomen nullatenus obtinent, qui legibus tanquam re sacratissimâ pro ipsorum lubitu atque arbitrato, abutuntur. Hi enim demum, teste viro longè eruditissimo & præclarissimo judicii Ludovico Vive ad Augustinum, sunt Jurisperiti, qui æquitatis ac naturæ legis tractanda sunt gnari, quique ut de Sulpitio dixit Cicero, ad æquitatem facilitatemq; omnia referunt, & tollere controversias malunt, quàm constituere, ut pax illa & inter homines, & in uniuscujusq; servetur animo, quâ omnium maximè natura ipsa gaudet. Et planè in hunc usum paratos olim apud innocentius illud seculum prius JurisConsultos arbitror, ut lites quàm citissimè prudentiâ suâ dirimerent ac finirent. E contra Rabulæ & Cerberi forenses ut ait communis ille Germaniæ Præceptor Philippus Melanchthon, sunt contortores legum, lites ex litibus serentes, suos clientes deglubentes, Rempublicam depeculantes, judicia ludificantes, propterea etiam degeneres JurisConsulti, sicut *γυναικας* degeneres aquilæ vocitantur.

Possẽm hoc loco evagari latius, verũ me temporis ratio, & hujus loci consuetudo, & vestra Viri Nobilissimi, Excellentissimi atq; Clarissimi benevolentia, quâ videor abuti, ut vela contraham, portumque tandem aliquando respiciam, admonet. Percepistis itaque omnium ordinum Auditores spectatissimi atque honoratissimi, Jurisprudentiæ excellentiam atq; dignitatem, quippe cum illius fons non sit humana calliditas, ut multi putant esse arbitrium potentum; sed sapientia in DEO, discernens recta & non recta, justa & injusta, cujus sapientiæ radius sparsus est in mentes humanas: Quâ de re præclarè etiam dixit tuba illa eloquens Oratoriæ benesonantis & Pater sapiens Demosthenes, legem esse donum Deorum. *Audiivistis ingentem Jurisprudentiæ*

lib. 19. de  
Civ. Dei.  
C. 21.



dentia necessitatem atque utilitatem, cum nullus hominū  
coetus, nulla aula, nullum Principis tabulariū, nulla oppidi  
cujuscunq; curia sit, quæ carere prudentiâ Jure Consultorū  
& disciplinâ Reipublicæ possit. Atque hoc illud est quod  
Divinus Plato literarum monumentis consignatum reli-  
quit; tum demum fore beatas Respublicas, si aut docti, aut  
sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent,  
omne suum studium in doctrinâ & sapientiâ collocassent.  
Argumento huic rei etiam sunt Scholæ Juris Consultorum,  
tam apud exteros olim, quàm hodiernâ tempestate apud  
nostrates, aperta, conservata ac propagata. Quare quorum  
operâ & laboribus regna florent, principum Majestas ful-  
citur; res Ecclesiastica & civica viget; iidem profectò o-  
mnibus temporibus, tum apud Ethnicos, tum apud Chri-  
stianos summo in honore ac pretio & habiti sunt olim, &  
etiam nunc habentur. Quocirca agite Juvenes Nobilissimi,  
Commilitones dilectissimi, qui Reipublicæ commodo na-  
ti & consecrati estis, amplexamini Jurisprudentiæ studium,  
in illudque omni curâ, cogitatione, nervisque omnibus  
incumbite, quo amicorum, quo civium, quo patriæ neces-  
sitatibus consulatis, laborantibus succurratis, afflictos exci-  
tetis, oppressos ope & consilio adjuvetis, & deniq; iniquita-  
tem, injustitiâ omnem, quibus potestis viribus subvertere  
non desinatis. Hic enim finis, hic scopus Themidi ritè litatu-  
ris præfixus & propositus esse debet, ut pulchrè canit Stigeli-  
us:

*Non ut divitiis, non ut sis splendidus auro,  
Non ut sis tituli magnus honore tui:  
Non ut Sarrano videare superbus in Ostro,  
Dandam operam sacris legibus esse puta:  
Verùm ut justitia possis servire, tuoque  
Officio præstò civibus esse tuis.  
Hunc tibi proponas finem, sic illa sequentur  
Omnia, quæ verus præmia poscit honor.*

D I X I.











ULB Halle  
003 060 403

3




1077











B.I.G.

Farbkarte #13

TIO 1667, 4

DEM

DENTLÆ

CONSUL.

IM,

STRI

ENSIUM ACA.

IA

Novembr.

(3)

tianorum patientiæ

XVII.

Ctorum

NEANDRO

archico.

drum, A. C. 1667.

sti Acad. Typ.

4

